PROGRAMM

des

Gymnasiums zu Recklinghausen

XXXXVI.

Schuljahr (1874) 1875—1876.

Herausgegeben

von dem

Direktor Dr. Bernhard Hölscher.

Recklinghausen,
Druck von J. Bauer.

1876. Progr. Nro. 289.

Sophocles quam sententiam et qua arte in Aiace fabula persecutus sit.

Graecorum poëtae scenici operum argumenta e fabulari gentis suae historia hauserunt, id quod multum praestabat utilitatis. Fervidiori enim studio spectatores erga res propositas tenebantur, quum in ipsa patria, saepe in eadem, quam incolebant, civitate ipsae res peractae essent; tum vero, quoniam rebus apertis celebrique fama divulgatis poëtas explicationis tantum viae ac rationi consulere opus erat. Fabulae autem proditae erant Homeri carminibus et poëtarum, quos cyclicos vocamus. Attamen, quum, si respicis tempus et terras, fabulae non semper et ubique eaedem essent, sed ut ita dicam huc atque illuc fluctuarent, insequentes poëtae imprimisque tragici partem aliquam vel totam rem mutare non dubitabant. Qua in re Euripides ita ingenio suo indulgebat, ut prologis illis saepe defensis, saepius vituperatis, praefari ei necesse esset. Quo more minus apto Sophocles non usus est. Aeschylum, quoad fieri posset, sequebatur. Argumenta enim ab illo iam tractata ita mutabat, ut opus perfectum omnibusque suis numeris et partibus expletum exhiberet. Quod quum accurate respicias, qua re permotus poëta secus ac alii scenas composuerit, saepissime tibi datur clavis, qua aditum tibi in fabricam ipsius poëtae pares, ubi consilia, quid haec et illa sibi velint, auscultari licebit. Maximi hoc est momenti in percontandis tragoediis, quarum summa de sententia non uno modo disputatur. Earum in numero Sophoclea Aiacis fabula habenda est. Neque solum de idea, quae huic fabulae subjecta sit, sed etiam de arte rerum compositionis viri doctissimi inter se dissentiunt, quum totam alteram partem alii plane supervacaneam reiici, alii necessariam teneri velint. Ab hac et ab illa parte stant viri celeberrimi. Si sententiarum vero, quibus in hac commentatione usus sum, auctores saepius non accuratissime laudavi, ignoscas quaeso, quoniam neque libros omnes adhibitos in manibus iam teneo, neque doctis artis iudicibus, sed iuvenibus gymnasii discipulis haec conscripsi.

I.

Itaque quum quaesituri simus, quae sit summa sententia fabulae, quam diximus, et qua arte illam Sophocles persecutus sit, primum nobis explorandum est, qualem finxerit Aiacem Homerus, qualem poëtae cyclici; deinde Sophoclis fabulam non occupati iudicio iam constituto anquiremus.

Prima igitur Aiacis personae lineamenta depinxit Homerus. Eo tempore, quo Achilles, vir omnium longe fortissimus, bello pugnaque se abstinet, loco eius habetur Aiax. Attamen multum interest inter Peliden et Telamonium. Si Achilles fictus est ad illam omnium Graecorum mentibus impressam herois imaginem, quae ex eleganti quodam cultu ac conformatione corporis et agilis ingenii eruditione conflata est, contrarias herois partes asperas horridasque Aiax exhibet. Ipse *μέγας* dicitur vel adeo *πελώριος*. Statarium militem repraesentabat, immobili gradu resistere consuetus et quasi quodam pondere corporis solo infixus. Calliditatem prudentiamque solis manibus confisus pugnans aspernatur; neque dolo Ulixis, neque iis, quae parum digne facit Diomedes, irritatur. Conciliis interest quidem, sed elinguis. Nusquam fere verba facit, nisi in proeliis ad exhortandos pugnatores. [1])

Illud Hegelianum: „Bei Homer ist das heroische Selbstbewusstsein aus seiner Gediegenheit noch nicht zur Reflexion des Unterschiedes von That und Handlung, der äusserlichen Begebenheit und dem Vorsatze und Wissen der Umstände, sowie zur Zersplitterung der Folgen fortgegangen,“ rectum quidem et verum. Sed poëtae cyclici, quum vitam fataque heroum enarrant, multa novaque afferunt neque ab iis facta tantum commemorant, sed etiam plerumque nexum faciunt moralem inter ea, quae patiuntur illi atque ea, quae imprudenter egerunt. Quod ad Aiacem pertinet, Aethiopis Arctini, et Ilias parva Leschae Lesbii respiciendae sunt. Arctinus certaminis, quod inter Aiacem et Ulixem de armis Achilleis exoritur, primus mentionem facit. Postridie eius diei, quo Troianis iudicibus Ulixi arma addicuntur, Telamonius repulsa iratus, gladio se interimit. Cui narrationi novum momentum addit Ilias parva. Sententia iudicum edicta Aiax insania capitur et furore deceptus greges exercitus, quos non alios nisi Graecorum principes esse putat, ulciscendi causa concidit. Contumeliam autem erroris mox cognoscens mortem sibi ipse consciscit. Hinc elucet illa doctrina, quae aetate Homerica nondum valebat, modum esse in rebus omnino tenendum, ita ut, qui eum migraverit, poenis afficiatur.

His expositis restat, ut dicamus, Sophoclem non ab omni parte Homerum et poëtas cyclicos secutum esse. Attamen ea, quae mutavit, in sequente commentatione suo loco distincte notabimus.

Sed priusquam respondemus ad id, quod quaeritur, quae sit idea quam vocant fabulae Aiacis, haud alienum a nostro consilio est, quaedam disserere de iis, quae Graecorum ratione ad

---

[1]) Etiam Pind. Nem. VIII, 41 Aiacem vocat: „ἄγλωσσον μὲν, ἦτορ δ᾽ ἄλκιμον.“ v. Doederlein: „Reden und Aufsätze.“ 2. Sammlung.

hominum mores officiique partes pertineant. Fatum, quod dicunt, duplex est, sive dicam, universi mundi ordo ac ratio ex duobus quasi elementis constituitur, quorum primum est summa legum et naturae et moralium. His legibus subiecti sunt ipsi dii et alia omnia, quae existunt, et animalia et inanimata. quae ratione utuntur eaque carent. Si genus autem humanum eiusque fortunam ac condicionem spectas, ad hoc caeleste quiddam divinum atque infinitum accedit tum voluntas deorum tum leges, quae emanant et auctoritatem sibi deducunt ex iis quas diximus legibus aeternis, quae rationes vicissitudinesque inter homines et deos confirmant, quibus civitates, regna, familiae constituuntur, definiuntur iura, officia disponuntur et omnium et singulorum. Deorum autem voluntas, quatenus ad homines spectet, minime discrepat a fati legibus, quas potius, ut perficiantur, ipsi dii libere adducunt. Homo igitur magnitudine animi ac pietate quamvis excellens, quum in unum deorum sive negligendo aliquid sive faciendo peccat, aeternas illas leges violat; quare eum poenas solvere necesse est, ut summus ordo rerum vindicetur. — In hac duplici condicione versatur homo, liber suoque arbitrio utens; sive facit, sive omittit ea, quae debet aut non debet. Qua in re perpendendum est, interesse aliquid inter ea, quae voluntate et iudicio fiunt, et inter ea, quae quasi sua sponte naturali quodam' modo et motu e mente emanant. Itaque dolus et culpa, *ὕβρις* et *ἄτη*, omnino sibi contraria opponuntur. Quam sententiam semper ante oculos versantem Sophocles poëta praedicat:

ἀλλ' ἀμφὶ τοῖς σφαλεῖσι μὴ 'ξ ἑκουσίας
ὀργὴ πέπειρα . . .[1])

Ad eos autem ulciscendos, qui consilio iudicioque utentes peccaverunt, vocantur dii, *Δίκη*, *Ἐριννύς*:

τοιαῦτα, μῆτερ, πατρὶ βουλεύσασ' ἐμῷ
καὶ δρῶσ' ἐλήφθης, ὧν σε ποίνιμος Δίκη
τίσαιτ' Ἐριννύς τ'. εἰ θέμις δ', ἐπεύχομαι·
θέμις δ', ἐπεὶ κ. τ. λ.[2])

Et quum inter peccati culpam et poenam sit nexus quidam naturalis, is, qui ex consulto iniuria alium affligit, eadem vel simili iniuria afficitur:

τούτων σε λωβητῆρες ὑστεροφθόροι
λοχῶσιν Ἅιδου καὶ θεῶν Ἐριννύες
ἐν τοῖσιν αὐτοῖς τοῖςδε ληφθῆναι κακοῖς.[3])

Voluntariae autem culpae magnum est argumentum Aiax Telamonius.

Is quum esset inter eos, qui ad repetendam Helenam adversus Troiam profecti sunt, et abiturus a Telamone patre admoneretur, ne quid absque diis susciperet, temere responderat, laudem, quam deorum adiutus ope etiam infirmissimus quisque sibi comparare posset, sese prorsus diis non

---

[1]) Trach. Soph. vv. 727—728: ed. Godofr. Hermann.
[2]) Soph. Trach. vv. 807—810. sqq.
[3]) Soph. Antig. vv. 1074—1076.

opitulantibus assecuturum esse.[1]) Quod si tanti modo facere vellemus, quanti alii faciunt, qui iuvenem e patria ad bellum profecturum, quum gloriam sibi futuram animo intueretur, gaudio conturbatum esse volunt, tamen alias quidem praeter iram caeterorum deorum, imprimis Minervae stomachum movet, eo, quod deae auxilium in ipsa pugna oblatum iactans refutat.[2]) Quae de sua virtute persuasio suique ipsius nimia aestimatio multorum malorum fons est:

ἀλλ' ἄνδρα χρὴ, κἂν σῶμα γεννήσῃ μέγα,
δοκεῖν πεσεῖν ἂν κἂν ἀπὸ σμικροῦ κακοῦ.[3])

Leges, quae hominum vires consaepiunt, Aiax neglexit. Poena lento, sed certo pede graditur, vindex laesae maiestatis deorum. Arma clam parantur; quae casu fiunt, omnia more quodammodo daemonis ad finem propositum disponuntur, diriguntur. Nam quum in pugna cum Hectore commissa eo perventum esset, ut Aiacem sine dubio victorem discessurum esse appareret, qua in victoria argumentum iuris situm fuisset aspernandi deae auxilii, proelium dirimitur, et Aiax gladio ab Hectore donatur. Eodem gladio, quem esse censet signum summae virtutis praeclarum, postea se ipse interficit. Uti igitur hoc donum, quod sibi esse mortiferum minime suspicatur, gloria laetus in vagina gestat, ita dii insolentiam ulturi capiti eius imminent. Nam ut Goetheus nostras verissime dicit:

Mit Göttern
Soll sich nicht messen
Irgend ein Mensch.
Hebt er auch aufwärts
Und berührt
Mit dem Scheitel
Die Sterne,
Nirgends haften dann
Die unsichern Sohlen,

---

[1]) Soph. Ai. vv. 766—769:
ὁ δ' ὑψικόμπως κἀφρόνως ἠμείψατο
πάτερ, θεοῖς μὲν κἂν ὁ μηδὲν ὢν ὁμοῦ
κράτος κατακτήσαιτ'· ἐγὼ δὲ καὶ δίχα
(τοσόνδ' ἐκόμπει μῦθον)
κείνων πέποιθα τοῦτ' ἐπισπάσειν κλέος.

[2]) vv. 770—777:
. . . εἶτα δεύτερον
δίας Ἀθάνας, ἡνίκ' ὀτρύνουσά νιν,
ηὔδατ' ἐπ' ἐχθροῖς χεῖρα φοινίαν τρέπειν,
τότ' ἀντιφωνεῖ δεινὸν ἄῤῥητον τ' ἔπος·
ἄνασσα, τοῖς ἄλλοισιν Ἀργείων πέλας
ἵστω, καθ' ἡμᾶς δ' οὔποτ' ἐκρήξει μάχη.
τοιοῖς δέ τοι λόγοισιν ἀστεργῆ θεᾶς
ἐκτήσατ' ὀργήν, οὐ κατ' ἄνθρωπον φρονῶν.

[3]) vv. 1077—1078.

Und mit ihm spielen
Wolken und Winde.
Steht er mit festen,
Markigen Knochen
Auf der wohlgegründeten
Dauernden Erde:
Reicht er nicht auf,
Nur mit der Eiche
Oder der Rebe
Sich zu vergleichen.

Achillis Paridis telo occisi arma praemium virtutis proponuntur. Eius enim ut essent, statutum erat, qui plurimum Achivis profuisset. Magnum inter mortales certamen fuerat, vine corporis, an virtute animi res militaris magis procederet. Iudices autem legitime constituti animo plus tribuere atque Ulixi, non diu disceptantes, *τὰ ἀριστεῖα* adiudicarunt: *φωτὶ παντουργῷ φρένας,* qualis Aiaci quidem videbatur.[1]) Tum animi modesti fuisset, aucteritati obtemperare. Homo flexibilioris naturae, qualem quotidie videmus, exitus tam inopinati appulsu fractus esset; cogitationes omnes coniecisset in id unum, qui fieri hoc potuisset et sibi ipse attribuisset mali caussam. Alius est Telamonius. Iudicum sententia attonitus torpet, iracundiae conturbatione huc atque illuc exagitatur, sed cedere sibi non licere putat. Colligit, solus in semet ipso constitutus, vires et animi et corporis, quae repulsa lata non tam deminutae, quam auctae firmataeque sunt. Itaque iustius de hoc Aiace, quam de Achille narraret Horatius:

„Iura negat sibi nata, nihil non arrogat armis.“ [2])

Achilles enim, iniuria ab Atridis affectus, in tentorio delitescit, contra Aiax ultionem exitiumque parat tam iudicibus, quam adversario victori, quasi societas civilis, cuius beneficio ferocia naturalis cohibetur et vires corporis animi imperio concedere coguntur, vel exstaret nulla, vel nihil esset. Vere de hoc Agamemno conqueritur [3]):

ἐκ τῶνδε μέντοι τῶν τρόπων οὐκ ἄν ποτε
κατάστασις γένοιτ' ἂν οὐδενὸς νόμου,
εἰ τοὺς δίκῃ νικῶντας ἐξωθήσομεν
καὶ τοὺς ὄπισθεν ἐς τὸ πρόσθεν ἄξομεν.

Sed consentaneum hoc erat Aiacis ingenio nec indignum suae sibi virtutis conscio;[4]) nam, etsi non adeo ferus erat, ut iustitiam prae violentia laederet, tamen non eo humanitatis cultu

---

[1]) Ai. v. 445.
[2]) a. poët. v. 122.
[3]) vv. 1246—1249.
[4]) vv. 422—427:

. . . *ἔπος*
ἐξερέω μέγ', οἷον οὔτινα
Τροία στρατοῦ δέρχθη χθονὸς μολόντ' ἀπὸ
Ἑλλανίδος . . .

temperatus, ut ei iudicio, quod iniustum esse sibi persuaserat, suam animi sententiam submitteret et condonaret.

Cavendum est, ne hoc loco praetermittamus Sophoclem aliter ac poëtas cyclicos et in Odyssea Homerum rem tractasse. Quod ad Homerum pertinet, inspicias velim Odyss. XI. 556—558:

. . . σεῖο δ' Ἀχαιοί
ἶσον Ἀχιλλῆος κεφαλῇ Πηληϊάδαο
ἀχνύμεθα φθιμένοιο διαμπερές . . .

Ex quibus luce clarius est, Aiacem, ubi primum de armis certatum esset, se ipsum occidisse. Eadem fere Arctinus in Aethiopide narravit. Lesches autem in Iliade parva novam rem addidit, Aiacem, quum se victum vidisset, iracundia et stomacho exardescentem insania occupatum esse. In qua dum versatur, principes necare statuit et mente occaecatus gregem trucidat. Ubi primum contumeliam sibi allatam cognovit, manum sibi iniicit. Etiam Sophocles plane aliam viam ingreditur. Aiaci, si perpetrandae caedis consilium inibat insania captus, crimen in rationem induci non poterat. Quibus bene respectis tragoedus rem ita disposuit, ut tum demum Telamonius, quum gladium in principes iam destrinxerat, coeperit insanire. Iram enim et scelus Minerva Atridis Ulixique propitia irritum facit et, ut eodem actu poena sceleris detur, in risum et ludibrium convertit. Atque, quod est tragoedia dignissimum, dum se ipsum, qualis semper fuerat esseque ex consulto voluerat, dum singularem suam summae perfectionis imaginem, quam animo et cogitatione conceperat, prosequi et servare studet, se ipse deserit ac contemnit. Is, qui etiam in pugna totaque vita sapientiam et dolum eadem esse voluerat, qui manu fortissimum duxerat optimum, consilium ac prudentiam aspernatus erat, idem ipse eodem temporis momento, illam bellatoris heroici imaginem esse veram, calliditate atque astutia probare cogitur: caedem ex insidiis facit, in sicariorum numerum se ipse refert. Sed, ut jam diximus, ulciscendi spes ad irritum redacta est. Perspiciamus, priusquam pergimus, seriem vel potius vicissitudines scelerum et poenarum. Vana de se praedicatio armorum iudicio, regicidii consilium insania atque contumelia punitur. Qua in poena naturalem quendam facile videas nexum. Vesania temeritatis intemperantiaeque animi insania confringitur, insania moralis quam vocamus reprimitur insania naturae. „Für den Menschen als Geist ist der Irrsinn ein moralischer Tod; er hört dadurch auf, ein Glied der Gesellschaft zu sein.“ Recte quidem et vere. Contra societatem civilem Aiax peccat, ideoque ex eadem societate insania reiicitur.

Quum animum revocasset perturbatioque recessisset, contumeliam in se cumulatam cognovit. Usque ad hoc tempus, deos sibi opitulari, putaverat, sed tunc errasse se ipsi luce clarius est:

. . . ὡς ἂν λύμαθ' ἁγνίσας ἐμά
μῆνιν βαρεῖαν ἐξαλύξωμαι θεᾶς [1]) . .
. . . .

---

et vv. 442—444:

εἰ ζῶν Ἀχιλλεὺς τῶν ὅπλων τῶν ὧν πέρι
κρίνειν ἔμελλε κράτος ἀριστείας τινί,
οὐκ ἄν τις αὔτ' ἔμαρψεν ἄλλος ἀντ' ἐμοῦ.

[1]) vv. 655—656.

τοιγὰρ τὸ λοιπὸν εἰσόμεσθα μὲν θεοῖς
εἴκειν[1] . . .
. . . ὅστις ἐμφανῶς θεοῖς
ἐχθαίρομαι[2]) . . .

Sapere si didicisset post tam triste experimentum, si iracundiam, confidentiam, contumaciam ponere, et temperantiam induere coepisset, — ita diis hominibusque reconciliatus potuisset vivere; nunc vero Aiax Aiacem exuere non voluit, non potuit, ne debuit quidem, ne tragoediae idoneus heros esse desineret. Itaque odisse etiam deos incipit, Minervam maxime, ut quae iustam vindictam inhibuerit. Ad quod primum conqueri satis habet:

ἀλλά μ' ἁ Διὸς
ἀλκίμα θεὸς
ὀλέθριον αἰκίζει.[3])

deinde acerbius accusat:

. . . εἰ δέ τις θεῶν
βλάπτοι, φύγοι τἂν χὠ κακὸς τὸν κρείσσονα.[4])

donec ad cavillationem prolabitur:

. . . οὐ κάτοισθ', ἐγὼ θεοῖς
ὡς οὐδὲν ἀρκεῖν εἴμ' ὀφειλέτης ἔτι;[5])

Hac ingenti animi acerbitate quasi veneno imbutus e vita decedere statuit. Questus sociorum et Tecmessae, mutas filioli sui preces, haec omnia vincit et contemnit. Series igitur facinorum et poenarum non est finita; novum peccatum quasi anulum adiicit. Culpam priore tempore commissam non videns, neque officiorum, quae parentibus, uxori, filio debebat, neque necessitudinis sociorum coniunctissimae rationem habuit, quamquam propinquos morte sua non solum magno dolore affici, sed etiam in maximorum discrimen periculorum coniici optime sciens conqueritur.[6]) Sua igitur petit,[7]) gloriae suae vindictam redintegrandam, non deos putat esse sibi reconciliandos. Verum enim vero ea ipsa re culpa augetur. Scimus quidem, mortem, quam quis libere atque ex consulto sibi imponat, secundum veterum opinionem non esse pessimum facinus;

---

[1]) vv. 666—667.
[2]) vv. 457—458.
[3]) vv. 401—403.
[4]) vv. 455—456.
[5]) vv. 589—590.
[6]) vv. 850—854:
ἦ που τάλαινα, τήνδ' ὅταν κλύῃ φάτιν,
ἥσει μέγαν κωκυτὸν ἐν πάσῃ πόλει.
ἀλλ' οὐδὲν ἔργον ταῦτα θρηνεῖσθαι μάτην·
ἀλλ' ἀρκτέον τὸ πρᾶγμα σὺν τάχει τινί.
[7]) vv. 473—474:
αἰσχρὸν γὰρ ἄνδρα τοῦ μακροῦ χρῄζειν βίου,
κακοῖσιν ὅστις μηδὲν ἐξαλλάσσεται.

sed Sophoclis tragoediis accurate inspectis, etiam tum magnos homines et generosos ab hoc flagitio contra naturam patrato abhorruisse liquet. Aiaci enim, postquam consilium suum verbis primo expressit, a choro respondetur:

μὴ κακὸν κακῷ διδοὺς ἄκος, πλέον
τὸ πῆμα τῆς ἄτης τίθει¹) . . .

Hoc loco monendum est, vocem ἄτην significare nimirum „poenam, malum"; principalem autem et summam vim esse „culpam". Imprimis ad nostram sententiam quadrant illi Sophoclis versus:²)

ΧΟΡΟΣ.
τέθνηκεν ἡ τάλαινα; (Δηάνειρα)
. . . .
ΤΡΟΦΟΣ.
σχετλίως τά πρός γε πρᾶξιν . . .
αὑτὴν διηΐστωσε . . . .
ΧΟΡΟΣ.
ἐπεῖδες, ὦ μάταιε τάνδ' ὕβριν;

Etiam Welckerus ab iis, quae modo proposuimus, minime dissentire videtur, quum dicit: „Ueber eine solche That (sc. Selbstmord) hatte auch das griechische Alterthum nicht einerlei Meinung. In der kleinen Ilias, welche überhaupt dem Ajax am wenigsten günstig zu sein scheint, wird seine Leiche nicht nach üblichem Brauche verbrannt, sondern in einen Sarg gelegt, wegen des Zornes des Königs, wie Eustathius sagt (Il. II. 557). Aber hätte Agamemnon an Ajax noch im Tode Rache für sich nehmen wollen, so würde die Leiche gar nicht beigesetzt worden sein. Daher ist wahrscheinlich, was bei Philostratus (Her. 11, 3) vorkommt, Kalchas habe erklärt, die Religion erlaube nicht, Selbstmörder durch das Feuer zu bestatten. In diesem Umstande ist Philostratus glaubwürdig, weil er in Allem sonst den Ajax zu rechtfertigen und zu erheben sucht. Nur ist, wenn nicht in der Philosophie, doch im Leben zwischen Enthaltung von der Nahrung und Handanlegen durch Schwert, Strang oder Gift ein bestimmter Unterschied gemacht, und nur das Letztere (αὐτοχειρία) als Selbstmord betrachtet und bestraft worden."

Forsitan autem dixerit quispiam, eo ipso, quod mortem voluntariam obiret, animos deorum Aiacem sibi reconciliare studuisse. Attamen noluit θεοῖς εἴκειν, immo superbiae suae, quam diis morigerari maluit. Culpam, quam pristino tempore, refutato Minervae auxilio, in se contulerat, non solvere, sed multam altero facinore effugere, i. e. temeritatem luere studet alia temeritate. Etiam hanc contumaciam redigi poena necesse est. Quaenam est poena? Sepulturae detrectatio. Sane Atridae, qui exanimatum corpus Teucro eripere conantur, de necis crimine nihil dicunt. Recte quidem, sed etiam principes, quum armis Ulixi addictis juste se egisse demonstrare tentarent, de Aiacis in deos temeritate, quae sola illam ignominiam attulit, nihil commemorant.

¹) vv. 363—364.
²) Trach. vv. 877—887.

Verum tamen, quod isti nunc exposcunt, minore, qua par est, temperantia postulant. Itaque et hos id, quod petunt, consequi non licet secundum poëticam quam dicunt iustitiam neque secundum leges, quas dii vel aeternum illud numen divinum constituerunt. Quem ad modum Aiax roboris ac virium abusu peccaverat, ita Atridae et dignitatis et potestatis abusu peccant.[1]) Teucrus fratrem sepultura privari noluit, Atridae, ne sepeliretur, vetuerunt. Utraque certantium pars ultra fines prudentiae, moderationis, modestiae proficiscuntur; Teucrus, quod leges illas offendit, quae verecundiam atque obedientiam erga principes postulant, Atridae, quod legem uniuscuiusque hominis naturae insitam, quae mortuos sepeliri vult, praetermittunt. Et in hoc et in illis superbia erat caussa agendi. Itaque utramque partem poenas dare necesse est. Teucrus punitur eo, quod non sui ipsius opera efficit, ut frater sepeliri possit, Atridae eo, quod Aiax revera sepelitur. Discrimen autem, quod novam calamitatem adducturum esse videbatur, sola sapientia ac temperantia, quam semper habebat Ulixes, dirimi poterat. Hoc vero exitu satisfit illis, qui illo quo fas est animo res humanas intuentur atque aestimant. Itaque non modo ex Aiacis tristi exitio, verum etiam ex eo, quod Teucrus atque Atridae aliud appetunt, aliud assequuntur, plane elucet, quae sit fabulae summa sententia.

Hominis vis ac virtus finibus concluduntur angustioribus, quam virtute viri praediti iudicare facile possunt. Iura eius non sunt infinita. Suis virtutibus obnixus, summam, quam petit, speciem perfectam, nisi vi qua maiore adiuvatur, assequi non potest. Persuasum sibi habeat, ius ac potestatem hominis exiguis finibus contineri, iisque modum impositum esse quum iure potestateque aliorum, quibuscum societas est et convictus, tum legibus, quae rerum humanarum ordinem disponunt ac moderantur. Ille autem, qui virtutibus quam maximis se excellere sentit, qui se contra omnem vim potentiamque tutum atque munitum esse facile putat, is ad insolentiam, contumaciam, arrogantiam, fastidium, inanem superbiam propensus est, neque talis inest ei mens, qualis hominem decet. Rationem non habet illorum, quae Minerva dea Ulixi in mentem revocat:

. . . ὑπέρκοπον
μηδέν ποτ᾽ εἴπῃς αὐτὸς εἰς θεοὺς ἔπος,
μηδ᾽ ὄγκον ἄρῃς μηδέν᾽, εἴ τινος πλέον
ἢ χειρὶ βρίθεις ἢ μακροῦ πλούτου βάθει.
ὡς ἡμέρα κλίνει τε κἀνάγει πάλιν
ἅπαντα τἀνθρώπεια.[2])

Ut primum autem fines migravit, sceleri scelus addit, culpam caecitate mentis animique furore auget culpa insequenti. Sublimi mente homo excellens aegre se subiicit neque quod evenit ei malum, flagitii poenam, accipere vult neque pati. Ita, quae homines eorumque sortes regunt, numina offendit. Longius prolabitur, atque etiam, quas colit, virtutes contumeliosis rebus occaecat,

---

[1]) vv. 1334—1335. Ulixes:
μηδ᾽ ἡ βία σε (Agamemn.) *μηδαμῶς νικησάτω*
τοσόνδε μισεῖν, ὥστε τὴν δίκην πατεῖν.

[2]) vv. 127—132.

prorsusque diruit, delet. Denique calamitatibus affligitur, quarum mors non est maxima. Contra, qui vivendi sentiendique rationem iuxta aeternas illas leges atque firmissimas instituit, neque huc neque illuc declinat et ex rerum discrimine palmam reportat nobilem.

II.

Postquam, quae sit fabulae summa sententia, cognovimus, ad alteram quaestionis partem, qua arte eam Sophocles persecutus sit, transeamus.

Aeschylus armorum iudicium tragoediae suae Aiacis [1]) fecit initium et dimicationes et altercationes partim negotiis Athenarum forensibus maxime adaequavit. Sophoclea autem incipit fabula a clade gregis peracta. Multum interest inter utramque rationem. Poëta, quem interiores compositionis caussae permovebant, ut Achivorum principes certaminis iudices constitueret, caussam tamen coram iis agi noluit, partim, quod tot talesque heroes nulla facta singulorum distinctione in scenam producere non potuit, partim, si unumquemque suo iure uti sineret, ne fines modumque tragicae artis excederet, veritus est. Orator qualis esset Aiax, ex certamine de armis habito eluceret; intimi autem animi sensus in obscuro manerent. Quare tum demum vere tragicus, ut ex Sophoclis ratione dicam, evadit, si, quum ignominiosae repulsae iram inimicorum caede explere studuerit, a Minerva in furorem coniectus est. Sui non compotem ac ridicule vesanum prima nobis scena Sophocles repraesentat. Ut singula quaedam afferamus: nusquam verba reperias, quae magis animum movent, quam illa:

ὦ χαῖρ', Ἀθάνα, χαῖρε, Διογενὲς τέκνον,
ὡς εὖ παρέστης· [2]) . . .

Aiax enim, qui pristino tempore deorum, praecipue Minervae auxilium insolenter aspernatus erat, tunc, ubi summa calamitate afficitur, gratias agit deae, quod se Atridas ulciscentem adiuvisset. Insanus igitur facit id, quod sana mente vituperans pavidi hominis esse superbo dixerat. Iam poena afflictus, pro hac ipsa gratiam habet gloriaturque, exquisitam ab inimicis ultionem se petisse:

ΑΙΑΣ. ὥστ' οὔποτ' Αἴανθ' οἵδ' ἀτιμάσουσ' ἔτι.
ΑΘΗΝΑ. τεθνᾶσιν ἄνδρες, ὡς τὸ σὸν ξυνῆκ' ἐγώ.
ΑΙ. θανόντες ἤδη τἄμ' ἀφαιρείσθων ὅπλα.

---

[1]) „Θρῇσσαι."
[2]) vv. 91—92.

ΑΘ. εἶεν, τί γὰρ δὴ παῖς ὁ τοῦ Λαερτίου,
πού σοι τύχης ἕστηκεν; ἢ πέφευγέ σε; . . .
ΑΙ. ἥδιστος, ὦ δέσποινα, δεσμώτης ἔσω
θακεῖ· θανεῖν γὰρ αὐτὸν οὔ τί πω θέλω, . . .
πρὶν ἂν δεθεὶς πρὸς κίον' ἑρκείου στέγης —
ΑΘ. τί δῆτα τὸν δύστηνον ἐργάσει κακόν;
ΑΙ. μάστιγι πρῶτον νῶτα φοινιχθεὶς θάνῃ.
ΑΘ. μὴ δῆτα τὸν δύστηνον ὧδέ γ' αἰκίσῃ.
ΑΙ. χαίρειν, Ἀθάνα, τἄλλ' ἐγώ σ' ἐφίεμαι·
κεῖνος δὲ τίσει τήνδε κοὐκ ἄλλην δίκην.[1])

Ridicula quidem est haec vana Aiacis praedicatio, attamen non risum movet, immo potius fletum atque querelas de miserrima istius hominis et omnium mortalium tristi condicione: „Das Gemüth des Lesers wird bei dieser Scene überhaupt mit widersprechenden Empfindungen erfüllt, welche sich in ein schauderndes Gefühl vereinigen. Der Stolz des Ajax über eine kindische Handlung, deren wahre Beschaffenheit er nicht kennt, würde uns zum Lachen bewegen, wenn dieser Stolz nicht aus einem Wahnsinn entspränge, zu welchem der blosse Wille einer Gottheit den kühnsten und tapfersten unter allen Sterblichen erniedrigt hat. Die Vorstellung einer solchen Macht aber, wenn wir sie gegen uns gerichtet denken, ist furchtbar und erfüllt unser Gemüth mit einem Schrecken, der in dem gegenwärtigen Falle durch die contrastirende Empfindung verstärkt wird.“[2]) Iam vides, quam artificiose fabulae initium poëta instituerit. Aptissime quoque Minerva dea in primam scenam inducitur; ipsa verbis prima fabulae lineamenta accurate depingit et totam fabulam ad numen divinum tamquam ad solidum quoddam fundamentum refert:

. . . ὑπέρκοπον
μηδέν ποτ' εἴπῃς αὐτὸς εἰς θεοὺς ἔπος,
μηδ' ὄγκον ἄρῃς μηδέν', εἴ τινος πλέον
ἢ χειρὶ βρίθεις ἢ μακροῦ πλούτου βάθει.
ὡς ἡμέρα κλίνει τε κἀνάγει πάλιν
ἅπαντα τἀνθρώπεια[3]) . . .

His versibus eam sententiam in animos spectatorum inducit, in qua permaneant, dum fabula agatur, et ex qua, quae Aiax et sentiat et agat, expendant atque aestiment.

Postquam e choro,[4]) qui ex Salaminiis Telamonii sociis constituitur, famam gregum ab Aiace occisorum per totum exercitum percrebuisse audivimus, Tecmessa coniugem modo resipuisse dolore gestiens refert. Tum ipse e tentorio regreditur adhortaturque socios, ut se contumelia obrutum interficiant:

„ἀλλά με συνδάϊξον.“[5])

---

[1]) vv. 98—113.
[2]) Fr. Jacobs: Nachtr. zu Sulzers Theorie d. schön. Künste. Vol. I. p. 116.
[3]) vv. 127—132.
[4]) vv. 134—181.
[5]) v. 361.

Hoc „συνδαΐζεσθαι“ temere iactum haud ita multo post unicum malorum remedium esse ei apparet; iterum iterumque ad illud recurrit:

ΑΙ. . . . πεῖρά τις ζητητέα
τοιάδ', ἀφ' ἧς γέροντι δηλώσω πατρὶ
μή τοι φύσιν γ' ἄσπλαγχνος ἐκ κείνου γεγώς.
αἰσχρὸν γὰρ ἄνδρα τοῦ μακροῦ χρῄζειν βίου,
κακοῖσιν ὅστις μηδὲν ἐξαλλάσσεται.[1])

et

ἀλλ' ἢ καλῶς ζῆν, ἢ καλῶς τεθνηκέναι
τὸν εὐγενῆ χρή.[2])

et

τὰ δ' ἄλλα τεύχη κοίν' ἐμοὶ τεθάψεται[3]) et al.

Effugere nos non potest, quanta sagacitate hominum pectora poëta perspexerit. Primo natura sua sponte ac quasi sui ipsius nescia, vel ira vel alio affectu commota, consilium parere solet, tum, quando redit tranquillitas mentisque tempestas declinatur, consilium captum retinet vel refutat. Ut primum Aiacis animus remittitur fitque tranquillior, necis suae consilium firmare studet et rationibus et caussis, quae omnibus probatae essent. In patriam reverti possum? Quo vultu me pater reciperet! „οὐκ ἔστι τοὔργον τλητόν.“[4]) Si in Troianos impetum faciens mortem animo militari demonstrato exquirerem? Minime, utilem me Atridis praestarem! „οὐκ ἔστι ταῦτα.“[5]) Nihil nisi mors libera manu conscita restat. Hac deliberatione facta, animum firmum recipit, nec precibus sociorum, neque ipsius vivendi cupiditate a proposito removeri potest:

. . . μῶρά μοι δοκεῖς φρονεῖν,
εἰ τοὐμὸν ἦθος ἄρτι παιδεύειν νοεῖς.[6])

---

[1]) vv. 470—474.
[2]) vv. 479—480.
[3]) vv. 577.
[4]) v. 460. sqq:

πότερα πρὸς οἴκους, ναυλόχους λιπὼν ἕδρας
μόνους τ' Ἀτρείδας, πέλαγος Αἰγαῖον περῶ;
καὶ ποῖον ὄμμα πατρὶ δηλώσω φανεὶς
Τελαμῶνι; πῶς με τλήσεταί ποτ' εἰσιδεῖν,
γυμνὸν φανέντα τῶν ἀριστείων ἄτερ,
ὧν αὐτὸς ἔσχε στέφανον εὐκλείας μέγαν;
οὐκ ἔστι τοὔργον τλητόν.

[5]) v. 466. sqq:

. . . ἀλλὰ δῆτ' ἰὼν
πρὸς ἔρυμα Τρώων, ξυμπεσὼν μόνος μόνοις,
καὶ δρῶν τι χρηστόν, εἶτα λοίσθιον θάνω;
ἀλλ' ὧδέ γ' Ἀτρείδας ἂν εὐφράναιμί που.
οὐκ ἔστι ταῦτα . . .

[6]) vv. 594—595.

Mollius quidem de vita, quam deserturus est, queritur, ac sine arrogantia, sed generosa sui fiducia memorabile illud pronuntiat verbum:

. . . ἔπος
ἐξερέω μέγ', οἷον οὔτινα
Τροία στρατοῦ δέρχθη, χθονὸς μολόντ' ἀπὸ
῾Ελλανίδος τανῦν δ' ἄτιμος
ὧδε πρόκειμαι.[1])

Quis est, qui proximis verbis dolore non afficiatur? Sane consentimus Aiaci, sed hac cogitatione ad eam sententiam provehitur, ut sentiat, inutile quid et vanum vitam esse inertem et honore privatam et despicabilem hominem, qui, ne vita excedat, spe irrita prohibeatur. Vitae, suis, omnibus valedicit[2]) cum vigore illo, qui δραστήριον ἄνδρα denotat.

Mira quadam facilitate hic animos nostros Sophocles movet. Simulac Aiaci furor divinitus inflictus resedit, et monologum illum,[3]) in quo fortunae,, quae imminet, cardo vertitur, rhetorica quadam dexteritate Telamonius (πάντ' ἀκήκοας λόγον) finivit, tum Tecmessae chorique animi valde exagitantur malis, quae, Aiace morte derepto, futura sint. Saxum ingens in mari situm aspici licet, quod ut flectatur vel evertatur impetu graviori leniorive fluctuum verberatur. Non flectitur. Frustra enim aditur a Tecmessa, ne se filiumque inimicis relinquat. Commotionem animi hisce querelis effectam facile deprimit, qui summam illam priorem tempestatem vicerat. Sane quidem commovetur, sed affectus in intimum cor concludit. „Pudebat, opinor, virum specie ferreum muliebrem profiteri amorem, ne forte uxorius videretur. Propalam enim praebet maritum se parum comem in amantissimam et modestissimam coniugem, sed imperiosum et fastuosum.“[4]) Afferamus, quae de hac re subtilius disserit Jacobs.[5]) „Mit dem Abschiede ist das Schwerste besiegt, aber der Stachel des Schmerzes, welchen er in dem Herzen des Helden zurückgelassen hat, verräth sich, wenn ich nicht irre, in der Kürze, Trockenheit und Härte, mit welcher er die wiederholten Bitten Tecmessens von sich weiset. So spricht der, welcher gegen die Festigkeit seines Herzens misstrauisch wird und sich der Gefahr entziehen will, in einem unabänderlichen Entschlusse wankend gemacht zu werden.“

Eadem de caussa et, ut sopiat suorum vigilantiam, simulat, tandem fatigatum esse se urgentibus Tecmessae precibus fractamque ipsius filii misericordia constantiam suam; deinde ut incustodite discedere liceat, lavacrum se petere fatetur. Media autem orationis pars[6]) ironiam verius habet, quam simulationem. Nam, Aiacem minime animum despondisse (id quod Gruppeus cum aliis contendit), ex verbis patet:

---

[1]) vv. 422—428.
[2]) 411—417. vv. 545—582.
[3]) vv. 430—480.
[4]) Doederlein: Reden und Aufsätze. p. 260.
[5]) Nachträge zu Sulzer's Th. d. sch. K. vol. I. p. 119.
[6]) vv. 665—670.

ὦ παῖ, γένοιο πατρὸς εὐτυχέστερος,
τὰ δ' ἄλλ' ὅμοιος, καὶ γένοι' ἂν οὐ κακός.[1])

Aiacis enim ingenium, quale erat, poenitentiae inaccessum esse debebat.[2]) Gruppeus fortasse dolum Aiacis animo indolique repugnare vult? At quare consilium Atridas clandestina morte conficiendi non vituperat? Num hoc moribus Telamonii consentaneum est? Et respicias velim perspicua illa verba, quae Orestes Sophocleus, homo honestissimus, in Electra fabula[3]) eloquitur:

δοκῶ μὲν οὐδὲν ῥῆμα σὺν κέρδει κακόν.

His rebus cognitis nihil hoc loco ad demonstrandam Sophoclis artem adiicimus, nisi ea, quae Wuellnerus consideravit optime: „Zudem spiegelt die List des Ajax eine vielfach erscheinende Täuschung der Natur ab und ergreift dadurch unser Gemüth um so mehr. Der Kranke scheint oft vor dem letzten Momente genesen zu sein; dem letzten vernichtenden Sturme geht ein trügerischer Sonnenblick vorher. Aber wie der Kranke in der scheinbaren Genesung sein nahes Ende fühlt, sich aber die liebende Umgebung gern täuscht, so täuscht hier Ajax mit Bewusstsein; aber seine Freunde merken das Trügerische nicht."[4])

Duplicem autem verba illa ambigua utilitatem fabulae praestant. Primum id, quod a plerisque non cernitur, saltem non dicitur: Aiacem nobis ita afflictum poëta proponit, ut eo temporis momento, quum summum sibi honorem, qui non in calliditate et prudentia, sed in fortitudine sola situs esset, firmare studuit, ipsam fere herois sibi impressam speciem male deserere coactus sit. Tum autem scenam illam vere tragicam reddit, qua chorus summae laetitiae indulgens miserrime fallitur. Legenti maxima inducitur misericordia, dum laqueis gravissimae calamitatis iamiam irretitos gaudio exsultantes, laeto vultu saltantes, semet ipsum tristis eventus scientia territum videt; videt, illis ipsis, qui hilares alacresque cantus copiose effundant, protinus tristi nuntio perculsis vocem faucibus haesuram esse. Falli se, clamare vellemus; e sedibus tabernaculi excitare Tecmessam vellemus, quae discriminum undis ereptam se rata respirat filiolumque pectori apprimit, lacrimans tanquam is, qui naufragii periculo evectus lucem, silvas, terram fletu salutat. Quid Salaminii cantatis? quid prae gaudio lacrimas Tecmessa?[5]) Iam gladius terrae infixus est, in quem irruturus est vir, qui vos socios fideles, te uxorem amantissimam negligit postponitque voluntati suae rigidae, qua ductus officiis erga vos solvendis supersedet. Ipso hoc tempore reditum in patriam recludens vos inimicis durissimaeque servituti relicturus est. Soli sibi ipsi consulit; quid parvuli vos ad eum: tenacem propositi virum familiarium parva iubentium condicio non movet, etiam „si

---

[1]) vv. 550—551.
[2]) cf. C. O. Mueller. Geschichte der griech. Litter. II. 129.
[3]) v. 61.
[4]) Wuellner. Zeitschr. f. Philos. und kath. Theol. Bonn, 1842. p. 22.
[5]) cf. Lübker, pr. Parchim. 1853, p. 27: „Die beiden letzten Scenen (vv. 646—692 et vv. 693—717) sind besonders charakteristisch für die sophocleische Poesie. Der Mensch, auch der grösste und gewaltigste und in den gehobensten Momenten seines Daseins gerade am meisten, erscheint beschränkt und blind. [Je feiner und überlegter Ajax seine Umgebung zu täuschen sucht, desto mehr schlägt ihn die Ironie der eigenen Worte; der Mann der Thaten, sonst schweigsam in der Rede, tritt aus seiner Rolle und wird an Worten reich.] Je unbefangener sich die alten Kriegsgefährten ihrer Freude überlassen, desto näher ist ihnen das schwere unerwartete Geschick."

fractus illabatur orbis, impavidum ferient ruinae." Chorus igitur, dum summa laetitia gestit, nuntio tristi subito in maximum terrorem coniicitur (inde a v. 718). Optime rem instituit Sophocles, quum Tecmessam non in scena versantem facit. Chorus enim errore magis deceptus, tarde et difficulter discit, ubi stet summa res; itaque nuntio satis morae narrandi, nobis accurate audiendi datur.

Quaenam nuntius dicit? Iterum verba nobis audienda sunt, quae digito quodam modo monstrant id, in quo totius fabulae fundamentum, quod dici liceat, morale quaerendum est:

. . εἶτα δεύτερον
δίας Ἀθάνας ἡνίκ' ὀτρύνουσά νιν
ηὔδατ' ἐπ' ἐχθροῖς χεῖρα φοινίαν τρέπειν,
τότ' ἀντιφωνεῖ δεινὸν ἄῤῥητόν τ' ἔπος·
ἄνασσα, τοῖς ἄλλοισιν Ἀργείων πέλας
ἵστω, καθ' ἡμᾶς δ' οὔποτ' ἐκρήξει μάχη.
τοιοῖσδέ τοι λόγοισιν ἀστεργῆ θεᾶς
ἐκτήσατ' ὀργήν, οὐ κατ' ἄνθρωπον φρονῶν.[1])

Neminem interpretem inveni, qui, quare hoc loco id repetat poëta, explicare studeat. Omnino enim cum Welckero consentio: „Die allgemeine Bekanntschaft, inquit,[2]) mit den wichtigsten Charakteren und Begebenheiten machte es dem Sophocles möglich, jeden Charakter und jeden Theil der Handlung sich immer nach und nach in jedem Zug erst an der gehörigen Stelle entfalten zu lassen, so dass die Analyse Stoff genug findet, um die recht naturgemäss ausgestreuten und zum Theil mit der flüchtigen und leise bedeutsamen Art der Natur angegebenen Merkmale auf entgegengesetztem Wege unter den geordneten Begriff zu sammeln." Scena autem, de qua loquimur, ita instituta est, ut spectatores caussas calamitatum bene perspiciant, quum paullulo post Aiacem se occidisse visuri sint. Immo vero necessarium est, tali momento id effici, quod vv. 121—123 effectum esse Wuellner. opinatur, qui dicit: „Besonders dient der ganze Theil der Scene dazu, uns jedes leidenschaftliche Vorurtheil zu benehmen und unserm Geiste gleichsam die höhere Weihe zu geben, damit wir die ganze Tragödie in ihrer Tiefe und Erhabenheit auffassen."[3]) Calchas sacerdos tam quieta et tranquilla verba facit, ut ipsa dea nos alloqui videatur.

Attamen imprimis ad vv. 756—758:

ἐλᾷ γὰρ αὐτὸν τῇδε θἠμέρᾳ μόνῃ
δίας Ἀθάνας μῆνις, ὡς ἔφη λέγων (sc. Calchas)

et 778—780 vv:

ἀλλ' εἴπερ ἔστι τῇδε θἠμέρᾳ, τάχ' ἂν
γενοίμεθ' αὐτοῦ σὺν θεῷ σωτήριοι·

---

[1]) vv. 770—777.
[2]) Kl. Schr. p. 264.
[3]) l. l. p. 12.

animum advertas. Lepide quidem, sed aperte perspicuisque verbis his locis poëta nos docet, mortem Aiacis non esse poenam Minervae, sed voluntariam, quamvis naturae quodam motu atque indolis Telamonii coactam, quo intelligamus, quantopere Aiax leges, quae familiae societatem officiaque mutua definiunt, temere laeserit.

Hac autem condicione et hoc uno tantum modo naturali connexu altera tragoediae pars cum priori arcte coalescit.

Unicuique probatur, scenam, postquam Tecmessa et chorus ad quaerendum Aiacem abiissent, mutari oportuisse (v. vv. 811—814). Omnia, quae ante monologum illum Aiacis antecesserint, pro tabernaculo Telamonii gesta esse, inter viros doctos constat. Miretur aliquis, triplicem illam a Franco-Gallis male receptam, ut ita dicam, unitatem inspiciens, et dixerit, leges scenicas prorsus a Sophocle migratas esse. Sane eas reliquit! At quanta vitio, si vis, assecutus est! Videamus, quae scholiasta hic monet: *μετάκειται,* inquit, *ἡ σκηνὴ ἐπὶ ἐρήμου τινὸς χωρίου, ἔνθα ὁ Αἴας εὐτρεπίσας τὸ ξίφος, ῥῆσίν τινα πρὸ τοῦ θανάτου προφέρεται, ἐπεὶ γελοῖον ἦν, κωφὸν εἰςελθόντα περιπεσεῖν τῷ ξίφει. Ἔστι δὲ τὰ τοιαῦτα παρὰ τοῖς παλαιοῖς σπάνια· εἰώθασι γὰρ τὰ πεπραγμένα δι' ἀγγέλων ἀπαγγέλλειν. Τί οὖν τὸ αἴτιον; Φθάνει Αἰσχύλος ἐν Θρῄσσαις τὴν ἀναίρεσιν Αἴαντος δι' ἀγγέλου ἀπαγγείλας· ἴσως οὖν καινοτομεῖν βουλόμενος καὶ μὴ κατακολουθεῖν τοῖς ἑτέρου τινὸς ὑπ' ὄψιν ἔθηκε τὸ δρώμενον, ἢ μᾶλλον ἐκπλῆξει βουλόμενος· εἰκῇ γὰρ κατηγορεῖν ἀνδρὸς παλαιοῦ οὐχ ὅσιον.*[1])

Aiax enim non potuit se extra scenam interimere, quin aut ad frigidas narrationes res omnis recideret, aut verisimilitudine plane destitueretur. Intelligunt periti, Sophoclem, ex omni ratione sua, propterea Aiacem in scena fecisse pereuntem, ut viderent homines oculis suis vel ipsius herois maximi exitus tristitiam, vel sociorum et Tecmessae et Teucri desperationem, vel denique Atridarum in eum virum atrocem superbiam, quem, dum vivebat, ne verbo quidem violassent impuniti. Et revera mors et, quae eam proxime antecedunt, supra omnia, quae in Sophocle legimus, granditate et celsitudine eminent. Etsi quidem, quod verum est et bonum, id tantum esse potest celsum, tamen ea quae sentit vir magno animo praeditus et quae agit, in mentem eorum, qui spectant, admirationem magnam inducere possunt, id quod semper accidit, si consilia ac facinora talia sunt, qualia ex alta mente viri magnitudine animi praestabilis nascuntur. Aiacis autem moriendi consilium non molli quadam ac languida animi aegritudine neque vitae fastidio, sed e magna prout herois virtute quamvis perturbata exoritur. Mors ei mox tam grata videtur, quam quae pingi solet a quibusdam poëtis huius aetatis, qui vivos eius desiderio faciunt tabescentes. Dum Telamonius solus ad litora maris atque in patriam versus ultima verba iam vivus facit, miro erga eum studio tenemur. Perpetrandi consilii locus eligitur, qui longinquior a castris, propior a mari situs est. Sol matutinus fulgore obducit undas. Quod celsi ingenti ponto semper inest, nunc nobis in interiorem animum penetrat, quum Aiacem fortissimum Graecorum iuxta Achillem, Atridis omnique exercitu furiis traditis, de acerba calamitate conquerentem videmus. Attamen etiam alia

---

[1]) ad v. 815.

sunt, quibus tenemur. Scimus enim, Tecmessam et chorum, nuntii verbis commotos, ubique indagare eiusque vestigia quaerere. Solus quidem est Aiax, sed cogitationes animique omnes et amicorum et, quod paullo post videbimus, inimicorum ad ipsum vergunt, curae uxoris ac sociorum, invidiae Atridarum atque exercitus circumsaepiunt eum vel ad medium illum se convertunt. Itaque mucronis illius ictu, quo latus aperiens cor petit, vita cuiusquam hominis sola, cui nomen Aiaci est, non finitur, sed herois vita et prosperitas salusque multorum funditus evertitur, ultionis cupiditas obtunditur.

V. vv. 900—1040: Socii Aiacis, simulac mortuum conspiciunt, in patriam redeundi spem omnem periisse lamentantur. Tecmessa et suam ipsius et Eurysacis filii servitutem iam quasi oculis videt indignissimam. Teucrus denique adeo omnibus nominibus se infelicem habet, ut in fratris interitu se periisse conclamet.

Gravior autem his ea est quaestio, num post illa concludere omne carmen debuisset. Nemo quidem, opinor, chori et Tecmessae atque Teucri de Aiace mortuo querelas illas non laudaverit; sunt enim non minus ad omnem fabulae institutionem necessariae, quam ab arte tam excellentes, ut aeque in iis atque in prioribus egregium Sophoclis ingenium summamque vim tragicam admiremur. Sunt autem, qui vituperationem ex ducentis et septuaginta versibus illis repetant, in quibus Teucrus cum Menelao et Agamemnone de Aiace sepeliendo disceptat. Incurrere clamitant divinum poëtam in vitium Euripidi saepenumero iure obiiciendum, duplicis scilicet actionis, quam non admittat boni tragici operis lex, quippe quae in unum idemque poëtae consilium, a quo pendeant omnia, conversam defixamque velit attentionem spectatoris sive lectoris. Sed adeo non haec iam subsequens otiosa oneransque praecedentem est actio, ut, si non accessisset carmen numeris suis nequaquam absolutum, immo mancum fuisset; actio enim, quae ex alio necessario fluit et fluere ex proposito debebat consilio, non separata nuncupanda est actio. Non enim, ut supra uberius demonstravimus, Aiacis mors poena deorum tantum erat, sed voluntarie conscita, quae, quod item explanare studuimus, altera mulcta expianda erat. Quae poena Aiace mortuo nihil esse potuit nisi sepulturae detrectatio. Ob eam unam caussam Sophocles fabulam iure produxit. Porro iura sepulturae sanctissima habita fuisse apud priscas gentes, quis est, qui nesciat? Qui privabatur hoc honore, ut nefarius divinis humanisque iuribus omnibus indignus et ipsa umbra illius nulla quiete frui posse censebatur.

Attamen si cui his probatis altercatio Teucri et Atridarum nimis extensa videatur, consideret quaeso, hoc litigandi studium in tragoediam e vita Atheniensium, hominum omnium maxime litigiosorum, irrepsisse, eandemque et vituperationem et excusationem habere, quam in aliorum populorum tragica poesi aliis quibusdam vitiis adhibeamus, simili ratione ex ingenii morumque eorum natura ortis.

Atqui etiam haec disceptatio ad summam tragoediae sententiam spectat. Menelaus eo procedit insaniae, ut antea Aiacem superbiisse, nunc vero illo mortuo sibi licere esse superbo glorietur. Agamemno quoque, cum irae caussam sibi iustam demonstraret, arrogantius et acerbius loquitur. Sapienter haec instituit Sophocles. Superbia et arrogantia nihil perpetrari, curant dii. Etiam igitur Atridas id, quod poscunt, minime assequi necesse est. Aiax sepelitur; fabula finita.

Hukestein.